

SACRA ROTA NUNTIATURAE APOSTOLICAE

Conjugum separatio. Saevitiae. Desertio malitiosa. Procedurae defectus
(Coram DEL AMO. Sententia diei 15 januarii 1968)

I.—SPECIES FACTI (*Omissis*)

II.—IN JURE

2. *Conjugum cohabitatio*.—“Conjuges servare debent vitae conjugalis communicationem, nisi justa causa eos excuset” (c. 1128). Tam vita communis quam mutuuum adjutorium, in quantum sunt propria matrimonii officia, internam habent relationem ad fines matrimonii.

“Matrimonium et amor conjugalis indole sua ad prolem procreandam et educandam ordinantur” (Conc. Vatic. II, *Const.* “Gaudium et spes”, núm. 50). Sed sine cohabitatione familia nequit promoveri; e contrario separatio conjugalis familiam pessum dat, scandalum gignit, opponitur tum mutuo juveni tum matrimonii finibus.

Docente ipso Concilio laudato, “Familia schola quaedam uberioris humanitatis est. Ut autem vitae ac missionis suae plenitudinem attingere valeat, benevola animi communicatio communeque conjugum consilium necnon sedula parentum cooperatio in filiorum educatione requiruntur. Conjuges, ad imaginem Dei vivi facti et in vero ordine personarum constituti, affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati sint, ut Christum vitae principium secuti, in gaudiis et sacrificiis vocationis suae, per suum fidelem amorem, illius testes fiant mysterii dilectionis, quod Dominus morte et resurrectione sua mundo revelavit”.

3. *De separatione concedenda*.—Caute igitur est procedendum ad tori separationem indulgendum. Necessaria est causa legitima quae a cohabitatione conjuges excuset.

Has inter causas legitimas separationis temporanae canon 1131 recenset saevitias, quibus alter alteri vitam communem nimis difficilem reddat. Etiam causam legitimam separationis doctrina et jurisprudentia malitosam desertionem reputat.

Separationis duratio quae a iudice est decernanda, non potest quin sit consentanea juri atque partium bono spirituali et temporali. Non autem conceditur in culpa vindictam, sed ad malum merito vitandum.

Quapropter non sufficit voluntas vel commodum partis instantis, nam his in separationis negotiis etiam et admodum ratio boni publici vel salutis animarum attendenda est.

4. *De saevitiarum aestimatione.*—Haud dubio, in aestimandis saevitiis gravibus, diuturnis atque injustis oportet animum considerare ex quo saevitiae procedunt, attendita conditione atque indole personarum.

Vita communis solvi nequit ob levia incommoda, ob characteres diversos insuavia vel aspera producentes et molestam facientes cohabitationem.

Neque possunt haberi uti causae sufficientes ad conjuges dissociandos gravia aliqua jurgia nata ex insolita quadam ira vel ex inopinatu perturbationis motu (Sánchez, De. s. Matrim., lib. X, disp. 18, nn. 2-13).

Sedulo his in causis saevitiarum effectus est considerandus, scilicet: damnum sive animae sive corporis imminens. Non sufficit timor cujuscumque periculi; requiritur malum grave cadens in virum constantem.

Quum effectus examinatur, inquirendum est de causa, nam frequenter molesta cohabitatio provenit tam ex una quam de altera parte, et ideo alter conjux sibi ipsi potius quam alteri malum quod suffert imputet, et molestiam vitet proprium tollendo vitium.

Saevitiae, quatenus qualificatae, debent probari sufficienter; nam iudex sententiam proferre affirmativam nequit, nisi de causa constet ex actis et probatis.

5. *Desertio malitiosa.* Hanc ad separationis causam quod attinet, satis sit illa tria recolere quae juxta doctrinam et jurisprudentiam requiruntur: 1.º Discensus derelinquentis vel dimissio alterius. 2.º Animus dejiciendi obligationes conjugales. 3.º Defectus justae causae.

Hujusmodi tamen causa conjugi deserto jus non tribuit impediendi quominus alter conjux redeat paratus ad vitam conjugalem restituendam. Causa enim separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est, juxta can. 1131, § 2.

Quod si aliquando malitiosa adfuerit desertio, eadem cessat inde a tempore in quo conjux culpabilis declarat se paratum esse ad pacificam cohabitationem. Quapropter nulla amplius existente causa, ex eadem separatio nequit obtineri.

III.—IN FACTO

A) *Quod refertur ad proceduræ defectus in prima instantia*

6. a) *Prae oculis est habendum formae momentum in processu.*—Appellationis iudex non potest in actis examinandis quin attendat formae processuali, quam nefas est praetermittere, nam ordo judicarius qui praescribitur non solum est lex obligatoria, sed etiam instrumentum aptum ad veritatem facilius inveniendam atque ad jura partium rite tutanda.

Qui ergo in appellatione judicare tenetur ex actis et probatis, non potest non dolere negligentiam vel partium vel tribunalis inferioris, ob quam veritas minus elucet vel est obnubilata.

7. b) *Partium interrogatio non praetermittitur sine detrimento causae illustrandae.*—In causis matrimonialibus, quae omnes publicae sunt, iudex ad eruendam veritatem facti, debet partes interrogare (c. 1742). Quae interrogatio confundi non debet cum judiciali partium confessione, de qua in can. 1750. Scite animadvertit Vidal: "*Positiones* sunt jus partium, quibus incumbit probare factum vel facta. *Interrogationes* iudicis pariter versantur circa facta, sed diriguntur ad illuminandam iudicis mentem sive circa factum ipsum sive circa facti probationem; cum tamen utraque pars litigans jus habeat, ut iudex recte illuminetur in cognitione facti, supra quod debet applicari jus, nihil vetat quominus iudex interrogaciones faciat sive ex officio, sive etiam ad requisitionem partis" (Wernz-Vidal, *De process.* n. 418).

In actis certo certius non sunt interrogaciones. Neque actrix neque vir conventus fuerunt rite interrogati, quamvis ipsi responderint ad *positiones* a parte adversa exhibitas. Habemus ergo probationes intentas in quaedam facta non semel irrelevantia; non autem habemus *interrogaciones* intendentes in aptam inquisitionem circa facta eorumque circumstantias, omnes et singulas, re vera pertinentes ad causam in iudicium deductam.

Interrogaciones enim in causis boni publici sunt necessariae non solum ad quaestionem controversam determinandam, sed etiam ad congruam instructionem causae expeditiorem reddendam, inquirendo de facti circumstantiis super quibus et probationes et interrogatoria Promotoris justitiae versari debent. Quod si culpa partium, promotoris justitiae vel ipsius instructoris quaestiones facti non illustrantur neque rite probantur; ex actis certitudo moralis nequit hauriri circa rem definiendam, et iudex causam definiens absque huiusmodi conscientia certa rite efformata hoc unum pronuntiare potest: "Non constare de jure actoris", ad normam can. 1869.

8. c) *Interrogatoria examinis rite exaranda.*—Profecto partes possunt iudici exhibere positiones ad instandum ut confessio judicialis fiat, immo et articulos seu quaesita super quibus pars interrogetur (c. 1745, § 1); at articuli exhibiti admitti a iudice nequeunt uti interrogaciones ab eo faciendae in judiciali examine, nisi tales condiciones habeant quales jus exigit. Hac de re verbis expressis *Instructio* anni 1936 super processu causarum nullitatis matrimonii statuit: Defensor vinculi curet ut interrogatoria proponantur omnino recte concinnata, quaeque ad rem faciant... facta ei facultate articulos a patronis propositos reformandi, quod facere non omittat praesertim si suggestivi videantur, ita tamen ne supprimat quae necessaria et opportuna sint ad plenam rei veritatem dignoscendam (InmSCdeS., art. 70 § 2).

Age nunc, quae Defensor vinculi in causis de matrimonii nullitate curaturus est circa examen partium et testium, eadem a promotore justitiae non debent negligi in iudicio de causis boni publici, inter quas certo sunt causae separationis conjugum.

9. d) *Inertia promotoris justitiae, in casu.*—Actis sedulo examinatis, nequit deficiens promotoris justitiae interventus probari. Qui enim, vi muneris sui tuetur bonum publicum et in iudicio interventum habet ut quaestiones recte ac legitime dirimantur, imo ut iudex lucem accipiat ex voto personae tum peritae tum prudentis, qui gerit ex officio tutelam legis et justitiae; eidem minime licet vota proferre uniformiter sine fundamentis juris et facti utendo communi signo impresso, vulgo “estampilla”, quae in actis apparet quaestionem tractando de libelli admissione.

Neque laudari potest ejus adeo omnimoda inertia per causae instructionem ut eo penitus absente, quaelibet probationes propositae admittantur, interrogatoria suggestiva non impugnentur, alia interrogatoria opportuna non redigantur, absque ulla oppositione partium et testium responsiones in actis consignentur contra juris praescripta.

10. e) *Formulae prelo excusae nequeunt inservire singulis casibus in quibus speciales juris et facti rationes sunt perpendendae.*—Confirmant sine dubio tribunalis inferioris corruptelas acta typis impressa, quibus primi gradus tribunal utitur ad cognoscendam causam incidentem de patrocinio gratuito vel de expensarum deminutione.

Siquidem in actis originalibus, fol. 137, omnia sunt praevis typis data ita ut omnes actus judiciales: Decretum iudicis diei 18 decembris 1965, notificatio ejusdem diei, votum promotoris justitiae etiam ejusdem diei, decretum diei 27 decembris 1965, notificationes diei 29 decembris 1965, nulla prorsus egerint speciali consideratione, sed tantum levi complemento, quod fit praesertim subscriptionibus et simplici consignatione diei, mensis et anni.

Res deterior fit, in casu, eo quod actuarius expeditissimus munus gerit non solum notarii, sed etiam promotoris justitiae in quantum vice hujus opinatur et opinionem propria manu scribit in actis circa expensarum deminutionem, uti sine dubio constat ex actis originalibus, fol. 127. Sane a promotore justitiae votum fuit subscriptum, sed judiciales hujus generis actus neque legitimi sunt neque apti ad justitiam recte administrandam.

11. f) *Tribunal attendens momento tum litium matrimonialium generantium admodum graves effectus canonicos et civiles, tum instructionis causae tractandae, non debet praetermittere legitimum promotoris justitiae interventum.*—Dolendum est de iudice primae instantiae qui leviter intervencum promotoris justitiae praetermisit et instruens causam, et peragens probationes a partibus propositas, et admittens interrogatoria suggestiva, idemque et conclusionem in causa decernens.

Ipsi ergo iudici instructori sunt praesertim imputanda tot vitia procedurae in testium excussione. Violati enim sunt semel et iterum canones 1775 et 1778. Interrogationes et plura complectuntur et responsionem suggerunt. Responsiones consignantur nimia brevitate: “Es cierto”, “No es cierto”. En gratia exempli: “36. Que el absolvente es hombre muy ahorrador, y considera que las mujeres siempre piden más de lo que les corresponde”. Quam

ad interrogationem vir conventus respondit, vel responsio hoc modo redigitur: "No es cierto".

Acta examinis testium accuratiora non fuerunt. Videamus et interrogationem et responsonem: "17. Que la falta de dinero de doña T. I. para mantenerse a sí misma y a la niña, al no pasarle cantidad alguna su marido, fue la causa de que decidiera cursar estudios en la Escuela de Visitadores Sociales Psiquiátricas". Testis M. M., mater actricis, respondet, juxta acta: "Es cierto".

12. g) *Etiam est improbandum processuale vitium evulgationis actorum atque conclusionis in causa.* Judici appellationis non licet silentio praetermittere formam qua processus primae instantiae publicatur et conclusio in causa decernitur. Examinemus ergo judicis decretum quod est typis impressum et continet communem aliquam formulam, quae singulis in casibus completur cum data opportuna et cum subsignatione judicis et actuarii. En ejus verba: "Decreto. X., 11 de octubre de 1965. Habiendo transcurrido el plazo de prácticas de pruebas en este juicio, se acuerda la publicación de todo lo actuado y la unión de las mismas a los autos; y se concede a las partes el plazo de treinta días para formular las excepciones a que se refiere el canon 1783 o el correspondiente escrito de alegaciones, en cuyo último caso y desde ahora para entonces se da por conclusa la causa. Lo decretó y firma el M. I. Sr. Viceprovisor-Juez Eclesiástico de la Diócesis. Doy fe". Decretum subsignant Juxd ex actuarius.

Hujusmodi formula stereographica manifesto est incongrua. Facultas alternative datur his actibus ponendis post publicationem processus intra idem spatium triginta dierum: Aut deducere ("formular excepciones"), juxta art. 175, § 3, *Instructionis* anni 1936; aut allegare ("escribir alegaciones"), juxta art. 179, § 1, et can. 1862, § 1.

Sed quia vi praecclusionis alia est periodus probationum et alia periodus allegationum, judex ita rem tentat componere: Conclusio in causa declaratur ex nunc ad tunc, quin promotor justitiae et partes possint audiri.

Enimvero est considerandum agi de tramitibus penitus diversis ratione temporis et minime confundendis. Est et dicitur processus quia ordinatim e uno actu judiciali expleto ad alium actum successivum proceditur. Ideo habetur, verbi gratia, litis libellus, litis contestatio, periodus probationum, evulgatio processus una cum tempore utili ad deducendum (art. 175, § 3), conclusio in causa et tempus praefiniendum ad allegationes tradendas (can. 1862, § 1).

Non licet ergo sub eodem termino confundere actus diversos, peragendos quidem sed temporibus diversis. In processu enim sunt: 1.º Tempus ad acta evulgata examinanda atque ad deducendum (c. 1858 et 1859; art. 175). 2.º Tempus in quo, expletis omnibus quae ad deducendum pertinent, devenitur ad conclusionem in causa (c. 1860). 3.º Tempus et forma quibus conclusio in causa fit, postquam fuerit absoluto satisfactum praescriptis circa elapsum tempus ad deducendum et instructionem satis peractam (c. 1860; art. 177).

13. h) *Momentum formae violatae proclamant ipsamet consecraria provenientia, in casu, ex isto decreto informi publicationis et conclusionis in causa.*—Propter processuale vitium reprehensum sequentes habemus in prima instantia effectus:

1.º Uxor actrix jure suo utens intra tempus utile, die 2 novembris 1965, instat ad normam can. 1783, ut testis E. C. denuo audiatur. Juxta decretum diei 11 octobris 1965, processus erat in tempore probationum, scilicet intra mensem praefinitum ad deducendum, ideoque ante conclusionem in causa et ante tempus praefiniendum ad allegationes exhibendas.

2.º Sed alia ex parte una simul etiam habemus: Vir conventus cui nihil deducendi erat, existimans vi decreti 11 octobris 1965 conclusionem in causa fuisse declaratam, exhibet die 13 novembris 1965 suas allegationes.

3.º Judex una eademque processus periodo sibi ipsi contradicit, nam *et rejicit* veluti ante conclusionem in causa uxoris deductiones hanc etiam falsam ob rationem: quia erat extra mensem seu tempus utile, computandum a die 13 octobris in qua decretum notificatum fuerat; *et admittit* veluti post conclusionem in causa allegationes a viro exhibitas die 13 novembris 1965, intra mensem a decreti notificatione unus ergo idemque mensis est pro una parte praefinitum tempus ad deducendum ante conclusionem in causa, et est pro alia parte tempus praefinitum ad allegandum.

4.º Judex hunc post mensem valentem, uti vidimus, tum ad deducendum, tum ad allegandum, decernit die 26 novembris 1965 utile tempus ad deducendum fuisse elapsum; quapropter a promotore justitiae exquirat votum finale antequam sententiam ipse pronuntiet. Sed hac vitiosa procedendi ratione pars actrix immerito tempus non habuit ad allegandum contra jus naturale. De facto, ut constat ex actis, defensionem non exhibuit.

B) *Quod refertur ad meritum causae*

14. a) *Res petita et causae petendi quae a nobis in appellatione ordinatim sunt examinandae.*—Actrix duobus ex capitibus separationem temporalem in litis libello efflagitabat, nempe ex viri saevitiis atque ex malitiosa desertione. Circa utramque petendi causam probationes productae fuerunt, atque sive primam sive alteram judex consideravit ad sententiam negativam fundandam et ferendam.

Etiam nos has duas partes litis examinabimus ad quaestionem apte dirimendam; at res videtur rectius atque expeditius tractari, si exactis his quae pertinent ad assertam malitiosam desertionem, viam et rationem habemus ad cuncta perpendenda facta quae forte coacervatim saevitias pariant.

15. b) *Discessus ab actrice allegatus non est causa illa quae dicitur malitiosa desertio, excusans a cohabitatione.* 1.º *Verum desertionis vel ex-*

pulsionis factum actricis confessione judici non indicatur.—Invisemus ipsius actricis dicta: “Si me fui del domicilio conyugal, fue porque mi marido cambió el cerrojo y mi llave no abría. A raíz del juicio de faltas, yo sólo iba a casa a dormir. Cierta día mi marido había inutilizado el cerrojo que hasta entonces nos había servido, y había aprovechado otro cerrojo inútil del que sólo él poseía la llave. Por la mañana fui con la mujer de hacer faenas y al no abrir la llave, toqué el timbre y mi marido abrió. Tuvimos una fuerte discusión, durante la cual él me dijo que aquella ya no era mi casa. Por la noche volví a casa de mis padres. Además no creo que estuviera mi marido, pues él suele regresar a casa entre la una y las dos de la madrugada”.

Hac ex facti expositione non apparet virum vel dereliquisse uxorem vel eam e domo expulisse; e contrario dicendum videtur uxorem deseruisse virum: “Me fui del domicilio conyugal... yo sólo iba a casa a dormir... Sin llamar me volví a casa de mis padres”. Ubinam ergo est expulsio vel discessus?

2.º *Neque testes desertionem aptius illustrant.*—J. I., pater actricis, declarat: “Mi hija salió del domicilio conyugal, pues su esposo la pegó por segunda vez. Ya una primera vez que la había pegado se marchó de casa, pero habiendo intervenido una hermana del demandado, volvió queriendo salvar el matrimonio”. Quibus ex verbis non deducitur figura canonica desertionis, sed potius saevae tractationis.

Ceteri testes auditi de asserta desertione ne loquuntur quidem; ideoque rem certam nequeunt facere. Et planum est. M. M., mater actricis hoc unum affirmat: “En cuanto a la expulsión de mi hija del hogar, *creo* que efectivamente su marido la expulsó, pues mi hija así lo contó”. Cui testi fides non est danda super expulsione, quia ipsa nihil testatur de scientia propria, sed tantum quod ipsa credit ob rem auditam a filia, quacum tamen non convenit.

Quod si ne de facto desertionis quidem constat, supervacaneum erit exquirere de animo dejiciendi officia conjugalia vel de malitiosa desertione.

3.º *Quidquid tamen fuerit de facto desertionis vir est paratus ad cohabitationem.*—Quamvis velimus admittere desertionem aliquando fuisse, eadem tamen certissime cessavit a momento in quo paratus est ad vitam communem restaurandam. Ipse enim fatetur in iudicio sub juramenti sanctitate: “Yo siento afecto para mi familia y lamento tener que vivir solo. Yo siempre he querido arreglar esta situación y ha sido mi esposa la que se ha opuesto”. Interrogatus de officio: “¿Cree usted que sería posible en las actuales circunstancias una convivencia pacífica? ¿A este fin qué garantías podría eventualmente ofrecer a su esposa en el aspecto económico y afectivo?”. Respondit: “Yo creo que sería posible una convivencia pacífica, pero depende todo de mi esposa. Por mi parte procuraría portarme como marido correcto y cariñoso, pero depende de la correspondencia que tendría en ella. Yo a veces le he dicho que cada cuál debería poner de nuestra parte lo que precisara.

En el aspecto económico, yo dispongo ahora de una cantidad o ingresos mensuales oscilantes entre cinco mil o cinco mil quinientas pesetas. Creo que me resultaría más fácil vivir con mi esposa que no hacer frente a las presentes circunstancias de una familia dividida”.

Actrix ergo quae allegat desertionem et eam non probavit, jus non habet impediendi quominus vir redeat vitam conjugalem restituens. Hac de re quae etiam allegantur circa alimentorum denegationem, pari ratione cessaverunt. His igitur ex causis separatio nequit obtineri, nam “causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est”. Dicendum tandem hodie magis culpabilem apparere uxorem quam virum.

16. c) *Neque saevitiae canonicae, quae a cohabitatione excusant, ab actrice probantur.* 1.º *Confessio actricis circa denegatam congruam sustentationem.*—Denegatio alimentorum, si quae fuerit, cessavit, uti superius diximus, perinde ac quaelibet alia desertionis species. At ex actis et probatis minime constat de non servata pro posse viri obligatione. Fatetur ipsamet actrix: “Primero me entregaba quinientas pesetas semanales, luego me lo subió a setecientas, pero sólo en las temporadas que él estaba en X. El pagaba las diversiones y gasolina. Las diversiones consistían en ir una o dos veces al cine a la semana. Es cierto que los talones bancarios, cuya fotocopia se me exhibe, fueron llenados por mí, y sirvieron para pagar facturas de mi marido. El me dejaba en razón de lo que había para pagar, calculando sobre lo que totalizaban las letras o facturas”. “En cuanto al dinero que él me entregaba, es cierto que tengo queja, pues era a todas luces insuficiente y él podía darme más”.

2.º *Confessio actricis circa modum obediendi capiti familiae.*—Hujusmodi obedientia debet considerari, nam vir tenetur congruam sustentationem uxori praeberere, at secundum statum suum, non supra id quod ipse possit. Viri etiam est dirigere et gubernare uxorem certo uti sociam et amicam, non uti servam; sed est mulieris reverentiam capiti exhibere et obedientiam praestare in domus gubernatione. Quae obedientia valde decoloratur in casu factis ab ipsa muliere relatis: “Mi marido pretendía que me quedara en casa para trabajar, durante sus ausencias, yo trasladé las botellas y el material... a nuestro domicilio (domicilio parentum)”. “Yo prefería trabajar fuera, en concreto como enfermera de un radiólogo, a cuyo servicio todavía estoy”.

3.º *Per testes denegatio congruae sustentationis non probatur.*—J. I., pater actricis, affirmat: “Casi siempre él estaba de viaje, y mi hija vivía a nuestras expensas”. “Mi hija y mi nieta viven desde la fecha que se indica (in articulo suggestivo) en mi casa y gracias a nuestra ayuda”. M. M., mater actricis, priorem attestationem moderatur aiens: “Desde aquella fecha (separationis) vive en mi casa y si bien el demandado tiene la obligación de pasarle creo que tres mil quinientas pesetas al mes, según acordó el juez, hay meses que no le paga nada; otros meses que sólo le paga mil pesetas; escasas veces le ha entregado la cantidad asignada”.

4.º *Declaratio viri conventi circa obligationem praebendi congruam sustentationem.*—Etiam sunt consideranda quae vir in iudicio fatetur: “Creo que con lo que le mando tiene bastante; con todo reconozco que muchas veces no le puedo entregar lo que ordenó el Sr. Juez, pues actualmente estoy muy apurado”. “Ella no ha pasado apuros económicos, porque sus padres tienen buena posición”. “Además, yo la he ayudado, según he dicho. Yo he mandado a mi esposa, según mis posibilidades. Mil quinientas pesetas habrán sido pocas veces que se las he mandado, pues normalmente le mando más. Además tengo embargado el piso y el *Dauphine*, que constituyen todos mis bienes”.

5.º *Sunt plura in actis quae viro favent.*—Cum conventi declaratione consonant acta judicialia in causa incidentaliter super gratuito patrocinio et expensarum deminutione, quam vir obtinuit, attento praesertim decreto iudicis lato die 30 januarii 1965: “Se decreta el embargo de bienes de don Julián Méndez Pedreño en cantidad suficiente a cubrir la suma de doce mil pesetas por concepto de auxilios económicos y la suma de doce mil pesetas fijada por litis expensas”. Hujusmodi sequestratio facta fuit ad uxoris instantiam!

17. d) *Saeva tractatio allegata, prout ex actis et probatis deducitur in casu, non est illa canonica quae a cohabitatione excusat.* 1.º *Quae ab actrice affirmantur.*—Prae oculis habemus superius considerata circa sustentationem et gubernationem familiae, imo et quae nunc addit: “No es cierto que yo diera una bofetada a mi marido. Sí lo es que en el fragor de una disputa él me pegó muy duramente en concreto el día 24 de octubre de 1962, celebrándose algunos días después un juicio de faltas”. “Tengo muchas otras quejas, según se exponen en el escrito de demanda” (ad 17). Sed in libello non est insistendum, nam ab uxoris advocato fuit exaratus et hac de causa in probationibus aestimandis nullam fidem facit, juxta constantem jurisprudenciam, quae nullum probationis pondus tribuit libello quo causa introducitur.

2.º *Correctiones quae a viro adhibentur.*—Ait enim in iudicio: “Sólo se produjo una discusión la vez que ella llamó a la policía, y fue porque ella la buscó”. Circa vexationem refert: “No es cierto que fuera por haberme desvelado la niña, sino porque al no querer su madre darle un vaso de agua, que es lo que la pequeña pedía, se lo di yo, insultándome por ello mi esposa y dándome un bofetón, a lo que reaccioné yo dándole otro”.

3.º *Aliae minutiae a testibus relatae canonicae saevitias non constituunt.* Testes quidem referunt nonnulla, quae licet sint minutiae minus suaves, non sunt facta insolita inter eos qui agunt vitam communem, neque adeo gravia vel diuturna quae excusent a gravi obligatione cohabitationis conjugalis, nam minime generant metum gravis mali vel grave periculum animae aut corporis.

Testimonia examinemus. J. I. insistit in pecunia commodata Juliano; sed hujusmodi quaestio est antenuptialis et confundi non debet cum viro

saeviente in uxorem. M. M. nullum refert saevitiarum factum ex quo iudex certus fiat de cohabitatione nimis difficili. R. B. asserit: “He presenciado varias situaciones de desaire del demandado para con su esposa. El marido profirió palabras insultantes, v. gr., que parecía tonta. Oí que le decía a ella que le daba asco, comparándola conmigo: dijo que yo iba bien vestida”. Quae omnia licet velimus admittere probata in iudicio; ex eis tamen nemo erit qui merito conjiciat grave malum vel periculum imminens.

A. A. atestatur: “Es cierto que al llamar ella con el timbre, él abrió y nosotras entramos, pero yo me fui en seguida hacia el cuarto donde tenía mi trabajo. Desde allí oí cómo los esposos discutían gritando bastante uno y otra”. C. H. refert: “Hará cosa de tres años yo estuve yendo varios días al domicilio de los esposos para pintar su piso. En uno de los días presencié cómo la actora algo atolondrada iba buscando un número de abonado en el listín de teléfonos (no precisamente para mí) y su marido le arrebató en forma violenta el listín. Ella se calló. No vi muestras de atención del demandado para con su esposa y sí, en cambio, cierto trato brusco”.

Tractatio vero aspera non est tractatio saeva, neque actus unus constituit saevitias diuturnas.

18. e) *Conclusio circa saevam tratationem, in casu.*—Actis rite rimatis dicendum est non constare de saevitiis qualificatis has praesertim ob rationes:

1.^a Quia, attentis circumstantiis personarum, indolis et conditionis, facta quae allegantur, et sunt verisimilia, non constituunt grave animae vel corporis periculum.

2.^a Quia uxor a viro non est tractata ut mancipium, sed uti consors talami et vitae.

3.^a Quia in casu una mala vel dura tractatio praeterita non est attendenda, sed potius continua illa vita communis pacifica, ex qua nequit praesumi nimis molesta cohabitatio, quamvis una alterave vice vir ob extraordinariam perturbationem uxorem vexaverit.

4.^a Quia, ad probationem quod attinet, testes facta non enarrant, contenti plerumque affirmationibus genericis respondentes interrogationibus suggestivis.

19. *Objectio.*—Forte quis dicet attendendum esse probationi compositae. Sed hujusmodi probatio in casu non efformatur sive per probationes conjunctim aestimandas, sive per actus frequentes coacervatim ponderandos. Non enim reddunt cohabitationem *nimis* difficilem leves injuriae, verba aliqua probrosa, characteris plus minusve diversi.

Accedit quod sunt in actis plura uxori adversa: 1.^o Non constat de congrua sustentatione uxori denegata. E contrario viro favent non tantum documenta exhibita, sed etiam declaratio testis E. C., qui asseverat: “Fui unas dos veces al domicilio de la actora a entregarle dinero de parte de su marido.

Otras dos veces vino ella a recogerlo a mi casa. Siempre fue en ausencias del demandado, por motivos profesionales, y se trataba de cantidades elevadas cada vez, sin que pueda precisar ahora su valor exacto. Quizás ascendía a unas treinta mil pesetas cada vez”.

2.º Factum de pecunia Juliano mutuo data a parentibus actricis ante matrimonium et factum de domo inscripta in registis publicis nomini Juliani, sunt quaestiones irrelevantes ad separationem obtinendam, nam certo ab iis factis minime pendet vel periculum animae aut corporis post matrimonium, vel denegatio sustentationis, vel desertio malitiosa.

3.º Desertio non probata valere nequit sive in quantum causa specialis, sive quatenus saevitia. Constat enim de viro parato ad vitae communionem restaurandam.

4.º Neque pondus ad separationem concedendam habent quae ab actrice allegantur circa virum praecepta iudicis civilis super alimentis non servantem. Nonne constat de viro impari pecuniae solvendae? Nonne constat de uxore judicialiter instante usque ad bonorum viri sequestrationem (embargo de todos los bienes)? Si ergo aliqua adfuerit injuria, in casu, eam potius uxor quam maritus fecit.

Quapropter vel de malitiosa desertione vel de saevitiis canonicis non constat.

IV.—PARS DISPOSITIVA

20. Quibus omnibus in jure et in facto sedulo examinatis atque mature perpensis, infrascripti auditores de turno, pro tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, declaramus atque definitive sententiamus, ad dubium propositum respondentes: *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad alteram, seu confirmandam esse sententiam Barcinonensem diei 22 junii 1966; ideoque actrici non esse concedendam separationem vel ob saevitias vel ob malitiosam desertionem, in casu.

Actrix appellans, salva deminutione concessa, expensas sustineat.

Et ita pronuntiamus mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut hanc nostram definitivam sententiam executioni mandent et adversus reluctantes ad normam juris procedant, iis adhibitis mediis executivis et coercitivis quae pro rerum adjunctis opportuniore existimaverint.

Matriti, in Sede Tribunalis Sacrae Rotae Nuntiaturae Apostolicae, die 15 januarii 1968.

LEO DEL AMO, Ponens
NARCISSUS TIBAU, Auditor de Turno
RAYMUNDUS LAMAS, Auditor de Turno
JOANNES BOTELLA, Actuarius